



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Vitæ S. Ferdinandi, Regis Castellæ Et Legionis, Ejus Nominis Tertii

Papebrochius, Daniel

Antverpiæ, 1684

§. I. Devotio sancti Regis erga Deiparam durante obsidione, miraculo isigni
(ut fertur) probata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42333

P A R E R G O N I I I

Ad quatuor precedentia Capita.

Ex Hispanico Spinozæ, Zunigæ, & aliorum.

§. 1. *Devotio sancti Regis erga Deiparam
durante obsidione, miraculo insigni
probata.*

Licentius Paulus de Espinosa, Presbyter & ci-¹⁹¹
vis Hispalensis, patriæ Historiam, antiquitates, ^{Ex recentio-}
& magnalia edere in lucem cepit anno MDC-^{ri scriptore}
XXVII; ^{cujus parte 1 lib. 4. & ultima agit de re-}
cuperatione urbis per sanctum Regem Ferdinan-
dum. Narrat autem Paulus iste non pauca, vel ignorata
vel præterita auctori Chronice, potissimum intento suc-
cessibus bellicis referendis. Et quoniam accurate satis refert
fontes ex quibus hausit singula, visum est in unam omnia
appendicem, recuperationis Hispalensis narrationi subjun-^{veteres}
gendam, colligere; prudentisque lectoris arbitrio relinquere, ^{membranas}
quid fidei singulis dandum existimet. Ac primum ^{fol. 148}
ex veteri Ecclesia Hispalensis membrana, in sacello Regis
asservata, asserit idem quod habent Lectiones, ad Matutinum
in dedicatione Hispalensis Ecclesie XI die Julii recitande, & à
Congregatione Rituum approbate anno MDXC. Quomodo sci-
licet Rex Hispalim obsedit, ad eam expeditionem à S.
Isidoro Hispalensi Episcopo per visionem excitatus,
quod scilicet sanctissimus Præsul suam Ecclesiam, tot
seculis jam ab infidelibus profanatam, Christo resti-
tuendam curaret.

¹⁹² Prudenti tamen cautione additur in dictis Lectio-^{probatur de-}
nibus, Ut fertur; quo nempe intelligatur id non constare ^{votio sancti}
ex certis quætorum coævorum monumentis, sed solum con-^{erga B. V.}
stanti traditione receptum esse: uti etiam, quod pius
Rex, tum alias, tum in eo bello Deiparæ Virginis
M 5 (cujus

(cujus sacram venerandæ Majestatis imaginem quocumque iret in exercitu secum ducebat, ac mira devotione & honore prosequeretur) præsentem opem non semel sensit. Prædictam autem membranam, inquit Paulus, continentem miracula aliquot sancti Regis, transcripsit Licentius Franciscus Pachieus, Capellanus Major Capellæ Regiæ & Canonicus ipsius Sanctæ ecclesiæ, cujus exemplum ego habui, à quodam Regni hujus Magnate communicatum. *Vinam suis originariis verbis, Hispanicis vel Latinis (nec enim qua lingua scripta fuerit exprimitur) membranam istam curasset Lectori suo Paulus exhibere, vel Processuum summario inserta invenirentur notata ibi miracula, sicut notantur alia infra danda ex libro veteri Flos Sanctorum.*

ejus imaginem Antiquam quam in turba

193 Interim ex membrana illa attulerat Paulus fol. 134, quod post conflagrationem igniarie illius machine (de qua in exitium Christiane classis comparata dictum est num. 154.) acturus pius Rex de tam singulari beneficio gratias Deo & Deiparæ, quibus acceptum id referebat, in suum se recepit tentorium prostravitque ante imaginem Virginis in oratione. Postero autem mane sub ortum solis sine gladio egrediens ex castris, progressus est orabundus usque ad ambitum majorum urbis, & ea usque ad portam Cordubensem transiens, intravit per eandem; eoque venit ubi est locus supplicii Martyrum, oravitque coram imagine Mariana, quam à vetustate Antiquam appellant, & tota civitate transita, nulli Maurorum conspicuus, egressus est per portam Xeritanam: veniensque in tabernaculum, & superiorem vestem quietis capiendæ causa deponens, deprehendit se absque gladio esse: unde intelligitur extaticæ orationis fervor, quo abreptus toto illo itinere fuit.

194 Doctor Hieronymus de Gudiël, arte Medicus (qui anno 1577 Compluti vulgari lingua edidit Compendium aliquot Historiarum Hispaniæ, in quo

quo tum aliæ antiquitates memoria digniores traduntur, tum præcipue illustratur familia Gironum) cap. xi dicit eundem se casum vidisse in alio Ms. antiquo de rebus & antiquitatibus Hispanicis, hoc verborum tenore expositum. Videns Rex sanctus obsidionem protrahi in longum, idque peccatis suis imputans, ideoque vehementer afflictus, continuas ad Deum Virginemque gloriosam ejus matrem preces fundebat, ante imaginem quæ hodie Regum dicitur, quamque circumducebat secum; supplicans ne sua peccata respiceret, sed zelum sanctum, quo impellente obsidionem tam arduam susceperat. Hoc tota una nocte agenti responsum fuit, animos sumeret, cito enim potiturum esse desiderato gloriosi laboris fructu. Surgens autem mane Rex, ambulavit usque ad civitatem, non visus à suis; & per unam portarum, quæ inter Turrin auream & portam Xeritanam clausa apparet, introgressus est; ubi dicunt excidisse ei non animadvertenti gladium suum; & perveniens usque ad Mezquitam majorem, veneratus est imaginem quam appellant Antiquam, quamque istic reperit, ubi etiam nunc consistit: atque per eandem portam regressus in tentorium, invenit ibi gladium qui sibi exciderat.

*eadem in ex
tasi ingres-
sus adora-
vit.*

195 Eodem mane D. Petrus de Guzman & D. Petrus Pontii, non inveniunt in tentorio Regem, perquisiverunt totis castris, usque dum venirent ad tabernacula DD. Roderici Gonzalez Giron & Didaci Lopez de Haro. Qui suspicati Regem ingressum esse civitatem, ingressi sunt etiam ipsi per portam Macarenæ, quærentes eum usque ad Mezquitam majorem. Quo cum plurimi Mauri accurrissent, pugna acris ibidem ipsis exorta est; in qua, protegente eos Deo progressi usque ad portam Xeritanam, per eandem redierunt ad castra; in quibus Regem repererunt, sanum atque hilarem, & gavisi sunt. *His relatis, apte, inquit Zuniga, subjungit Gudiel: Si postremum*

num istud facinus Roderico Gironi & sociis affectum Poëtice est, apte inventionis istius auctor legit personam cui ipsum adscriberet. Scimus tamen etiam in Granatensis urbis acquisitione, occasione non absimili, quid simile patratum fuisse à Ferdinando del Pulgar.

*regressusque
invenerit se
inermem
fuisse.*

196 *Pergens deinde Spinosa*, Alii, inquit, auctores dicunt, quod tota una nocte ferventi orationi insistens Rex, à Deo sibi concedi petiit ingressum in urbem Hispalensem, ad introducendam illuc sanctam Christi fidem, & visitandam magnæ religionis imaginem Marianam, quam quidam à Columna nominant; quia stabat ad colomnam cujusdam fontis ad concursum platearum Genuensis & Marinæ: quidam vero asserunt fuisse miraculosam illam imaginem, quæ Antiqua nominatur, eratque intra ipsam Mezquitam Maurorum, honorata ab his, adorata à Christianis. Postea ajunt, surrexisse Regem, velut in ecstasi, præ attentione atque fervore spiritus; & inobservatum produsse de tabernaculo, ac transito Tabulatae campo quam longus erat, circuivisse murum usque ad portam Cordubensem, & campum illum in quo solebant Mauri capitis supplicium sumere de Christianis, inde appellatum Decollatorium Martyrum. Hinc inductum, vidente nemine, in civitatem ab Angelo, usque ad locum imaginis: qua adorata, Rex egressus fuerit per portam Xeritanam; ingressusque in tabernaculum, animadverterit periculum in quo fuerat, absque gladio existens.

*quibus po-
nitentis u-
sus durante
obsidione?*

197 *Triplicem hanc extaticæ illius peregrinationis narrationem, tam unam in substantia facti, quam in circumstantiis variam, ideo credo proposuisse Spinosa; ut pluralitate testium, non omnino recentium, ejusmodi de sancto Rege credulitati faceret fidem traditionis saltem popularis: quæ licet raro aliquid integrum invariaturumque transmittat ad memoriam posteritatis, non sit tamen contemnenda, quamdiu nulla gravior ratio in contrarium obstitit.*

Et

Et hujusmodi sunt quæ idem auctor adjungit, solitum Regem ter in hebdomade, quamdiu duravit obsidio, seipsum noctu flagellare usque ad copiosam sanguinis effusionem; cum autem pugnandum esset, cilicinam crucem, ferreis aculeis asperam, supra nudam carnem gestare, quæ pectus & brachia complectebatur: habuisse etiam in exercitu Sacerdotes, qui militibus pœnitentiam & virtutum exercitium prædicarent, in quibus præcipui fuerint beatus Fr. Dominicus, vir sanctissimus, discipulus & socius gloriosi Patriarchæ Dominici, Confessarius Regis, an etiam socius S. Petro Gonzalez eique adjunctus socius, thaumaturgus Pater Fr. Petrus Gonzalez, quem asserit Christophorus Nuñez, Cappellæ Regiæ Sacellanus, in historia quadam à se scripta de singularibus rebus urbis Hispalensis, multa prædixisse sancto Regi obsidionis hujus tempore, quæ exitus vera demonstravit. *Egimus xv Aprilis de S. Petro Gonzalez, ibique notavimus ad num. 15 Vita littera d, hunc mortuum esse septem annis citius, quam obsidio inchoaretur; nunc vero occurrit etiam alius error ejusdem Vita notandus, quo dicitur idem Petrus capta urbe comitatus Regem, ad urbem suam regiam regressum: neque enim amplius rediit in Castellam Ferdinandus, aut vivus aut mortuus.*

§. 11: De imaginibus Marianis, Hispalim indutis à sancto Rege.

Interim eximiam Sancti Regis devotionem erga 198 Deiparam Virginem confirmat nobis etiam Lucius Circumdum Marinus Siculus, libro 5 de rebus Hispanicis, agens core imaginem D. V. solius, de S. Ferdinando, brevissimis quidem verbis, sed ta-men dignis hic legi; Deiparæ effigiem, inquit, quam semper habebat apud se, devotissimus adorabat, summaque devotione celebrabat. Ab ea itaque quidquid & necessario & honeste petebat, facile impetrabat. Hac igitur adjuvante, Hispali aliisque pluribus